

obedientiam, quod sigillo conventus non utantur nec alios uti permittant nisi de consensu fratrum et in praesentia conventus. Praesentem vero litteram in singulis conventibus vestrae custodiae legatis, dando eis copiam, et vestris successoribus relinquatis. Vale in Christo et deum pro me orate. Scriptum Magdeburg anno domini M° CCC° LXXVIII° in die sanctae Katherinae virginis et martyris.

Frater Borch[ardus] provinciae Saxoniae minister.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden. Das auf der Rückseite aufgedrückt gewesene Siegel ist abgefallen.

No. 370. 1384. 6. Dec.

*B. Nicolaus befiehlt der gesammten Weltgeistlichkeit seiner Diöcese ihren Parochianen zu verkündigen, dass es Jedermann freistehe den Minoriten zu beichten und bei diesen sein Begräbniss zu suchen.*

Nicolaus dei et apostolicae sedis gratia episcopus ecclesiae Misnensis universis et singulis .. praepositis .. decanis archidiaconis ac praelatis necnon archipresbiteris plebanis viceplebanis ecclesiarum parrochialium cappellarumque et altarium rectoribus per civitatem et diocesim Misnensem ubilibet constitutis salutem in eo, qui est omnium credentium vera salus. Quoniam sacro attestante canone in faciem meretur conspui, qui semen salutiferum fratris nostri defuncti Jhesu Christi suscitare non consentit, pro quo ipse dignatus est ex paterno utero in virginis uterum et in mundum descendere ac mortem crucis ignominiosam sustinere; cum igitur religiosi viri fratres ordinis minorum ad huiusmodi superlatum semen hoc est salutem animarum a deo et ab ecclesia sint electi ut legitimi cultores vineae domini Sabaoth non solum [ad] fructum trecesimum aut sexagesimum immo centesimum proferendum, licet nonnulli perpere sapientes iurium ac privilegiorum eorundem ignari dei timore postposito ac sanctae Romanae ecclesiae honore in hac parte sublato publice et occulte nituntur Christi fideles ab eorum confessionibus periculose et in perniciem animarum retrahere. Nos igitur cui pastoralis cura commissa est zelantes animarum salutem et fructum non valentes aequanimiter tollerare tam periculosos errorum seminarios, remedium duximus apponere oportunum, vobis omnibus et singulis in virtute sanctae obedientiae districtius mandamus, quatenus cum a praedictis fratribus in nostra diocesi degentibus fueritis requisiti populo vobis subiecto de ambone hora consueta publice pronuncietis distincte ad intelligendum omni populo, quod volentes eisdem confiteri sani et infirmi licite possunt irrequisito suo curato et ab eisdem beneficium absolutionis recipere, ac si proprio sacerdoti essent confessi, quia nobis sunt legitime praesentati, et quod libere possunt si volunt apud eosdem suam eligere sepulturam. Nec sustineatis aliquem in vestris servitiis praedictis publice vel occulte contradicentem, cum praedicta ac plura alia a iure communi et singularibus privilegiis a summis pontificibus praedictis fratribus sint gratiose indulta, nam in contrarium facientes durius si occurret procedemus. Datum Stolpin anno domini M° CCC° LXXX quarto in die sancti Nicolai confessoris nostro sub appenso sigillo.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem kleineren Siegel des Bischofs an einem Pergamentstreifen.